



\* Diese Ausg. 10 g  
Lg

1035

11  
Ε Ε Α Σ  
QVAESTIONUM  
MISCELLARUM,

*Quam*  
Benevolo SUPERIORUM permissu,

*sub*  
*Presidio*

M. JOH. NICOLAI STENDERI,  
Scholæ Provincialis Rudolstadtio-Schvartzb.

RECTORIS

*Publice ventilandam proponit*

JOHANNES ROTTENBERGER,  
Ilmena-Thuring.

Ad diem Martii,

ANNO O. R. M. DC. LXX.

*In Atrio Majori,*

horis pomeridianis.

---

RUDOLPHSTADII,  
LITERIS FREYSCHMIDIANIS

**VIRIS**

*Perquam Reverendis, Clarissimis  
& Doctissimis*

**DN. M. FRIDERICO CELLARIO,**  
Ecclesiae Ilmenfis Pastori meritissimo, & Epho-  
ria Rudolstadiensis Gener. Adjuncto  
dignissimo,

*Atq;*

**DN. M. VALENTINO MEHMELIO,**  
Ecclesiae Dürnfeldensis Pastori vigi-  
lantissimo

*DNN. Promotoribus, Patronis & Fauto-  
ribus omni pietatis & observantia cultu  
aeternum mandatis*

**Hanc quaestionum**

*eadem*

*in benevolentia*

**& patrocini incitamentum  
consecrat**

**Respondens**



I. N. J.

**U**ventus non ineptē terræ fertili com-  
piratur, quæ neglecta multos eosq; perniciosissi-  
mos producere tolet fructus. Meam igitur ne ipse  
negligere aliis videar, benevolo Dnn. Inspecto-  
rum consensu, ex hac Provinciali Schola in Academiam abire  
ibiq; ut uberiori artium, Patriæ olim salutarium, succo irrigetur,  
ardenti studio, Deo juvante, curare decrevi. Antequam  
autem id fiat, muneris mei esse duxi, quæcunq; specimen  
relinquere. Qui conatus ne sinistram in partem rapiatur, est,  
quod etiam atq; etiam rogitem: Sit igitur

QVÆSTIO I.

*An abstinentia ab esu carnis sit verum ac  
proprie dictum jejunium?*

**P**ontificii quidem quadragesimale suum carnisprivium  
hoc insignire nomine non dubitant. Verum enimvero  
à veritatis tramite aberrant. Nam *verum & proprie sic dictum  
jejunium*, scripturæ ductu, non solum *certain cibus genus*, sed *omne  
omnino cibum (& potum) excludit*. Quid Pontificii hoc quadra-  
gesimali, quod non ita pridem iterum illuxit, tempore faci-  
unt? Abstinent quidem ab esu carnis præptimis, interim pi-  
scibus & aliis lautitiis vinoq; generosiori ventrem distendunt,  
adeoq; *pleno laudant jejunia ventre*. Si hoc verum est jejni-  
um, plures mendicorum frequentius jejunabunt, cum rarius  
per totum annum carnibus vescantur. Concludo hanc quæ-  
stionem, cum de aliis, quæ in ea continentur, agere ratio insti-



tuti mei non permittat, verbis B. Dannaheri: *Qui abstinet à certis cibis, jactat rigorem jejunii quasi Niniviticus: in rei veritate non est jejunium, sed delectus ciborum. Sic Judæi omnino tempore jejunassent, quando abstinuerunt ab immundis.*

## QVÆSTIO II.

An istud: *Fortuna inimica virtuti: calculum mereatur?*

Qui fortunæ eventus consulere vellet, sine dubio cum Seneca in hæc erumperet verba:

*O fortuna viris invida fortibus,  
Quam non equa bonis premia dividis!*

Quoties enim probi & virtutis clypeo muniti fortunæ præsidio destituti vivere coguntur, malis contra omnibus bonis affluentibus? Ast cum hæc de *bonis fortuna*, uti quidem vulgo vocantur, solum intelligenda sint, quæ non *per se*, sed *per accidens* virtuti interdum obstrepunt, *questionis negativa parti* calculum meum qualemcumque adjicio.

## QVÆSTIO III.

*Utrum illa, quæ quis agit voluptate, sponte agat, an verò violentè?*

SI Acciaolo & aliis Interpretibus fides est habenda, non solum multi & à fece vulgi nati, sed & quidam *χαιρέτων* & in Philosophorum scholis principem ferè obtinentium locum statuerunt, *voluptate & jucunditate rerum malarum hominem ad peccandum cogi*, & per consequens *jucunda esse violenta*. Negari quidem non potest, magnam vim inesse voluptati, unde Cicero voluptates vocat blandissimas dominas, 1. Off. At verò  
pru-

prudentis est, hisce dominis non servire, sed potius illis im-  
 perare. Cuicumq; tandem affirmantem partem olim & ad-  
 huc amplecti libuerit, contra illum Philosophus rectè insuro-  
 git & pluribus rationibus negativam sententiam probat. III.  
 Eth. 1. Ego tres tantum in scenam producam. (1.) *Omne*  
*violentum est molestum.* *Quodcumq; facimus propter volupta-*  
*tem, non est molestum.* E. Quodcumq; facimus propter vo-  
 luptatem non est violentum. Major ex definitione violen-  
 ti est clara. Minor ex terminis. (2.) *Si illa, quæ propter*  
*voluptatem suscipiuntur, sunt violenta, actiones etiam viri boni*  
*& prudentis erunt violenta.* Sed posterius est absurdum. E. &  
 prius. Majoris consequentia probatur, quia si homo pru-  
 dens est causa honestarum actionum, homo etiam improbus  
 & voluptatis amans erit causa actionum turpium, quia hone-  
 sta & turpia sunt contraria, quorum hic eadem est ratio. (3.)  
*Cujuscumq; actionis principium est in ipso agente, illa non est*  
*violenta.* Atqui actionis propter voluptatem suscepta principium  
 est in ipso agente. E. *actio propter voluptatem suscepta non est*  
*violenta.* Major ex natura spontanei lucem suam foeneratur.  
 Minor iterum luce sua radiat.

## QVÆSTIO IV.

*An juvenum ira sit major senum?*

**Q**uamvis quæstio simpliciter vix determinari possit, tum  
 ob varia variorum temperamenta, tum etiam ob educa-  
 tionem, quæ regendis affectibus magnum pondus addere so-  
 let; tutius tamen prius affirmandum est hisce de causis,  
*quia juvenum temperamentum est calidius, quam senum;*  
 hinc incitatiores ætatis vegetæ cupiditates & vis affectuum  
 plerumq; major, quam ætatis ingravescentis. (2.) *Juvenum*  
*plures ob debilem rationis usum affectibus frena facilius laxare*  
A 3 solent

*solent, quam senes, modo hi non sint tales, qui à propheta  
vocantur pueri centum annorum.*

## QVÆSTIO V.

*An genus in una specie, & species in uno  
individuo conservari queant?*

**H**Ujus quæstionis duplicatæ duplex est sensus: [1.] *An ge-  
nus in una specie, & species in uno individuo conservari  
possint, ut nec plures species, nec individua actu sint, nec esse  
possint.* Hac ratione genus in una specie, & speciem in uno  
individuo conservari posse negatur. [2.] *An genus & species  
existere possint, etiamsi plures species, pluraque individua actu non  
sint, existere tamen possint, de quibus genus & species prædica-  
ri possint, & hoc posteriori modo quæstionis partem affirma-  
tivam defendere non tergiversabor.*

## QVÆSTIO VI.

*An Cygni certis, & præcipue ultimis vitæ tempo-  
ribus, cantent suaviter?*

**D**E cantu cygnorum plurimorum, imo omnium fere scri-  
ptorum controversiam esse maxime agitatum, scribit U-  
lysses Aldrovandus l. 2. Ornitholog. c. 1. Non ignoro à parti-  
bus affirmantium hanc quæstionem istare non solum Poetas  
Græcorum & Latinorum celeberrimos, sed & Philosophorum  
non paucos, eosque gravissimos. Negant vero inter alios *Plinius*  
l. X. c. 23. *Lucianus* in *Electro*, *Ælianus* lib. 1. var. hist.  
*Alexander Myndius* apud *Atbenæum* l. IX. f. *Cæsar Scalige*  
Exerc. 232. Et *Bodinus* in *Methodo histor.* In tanto dissent  
forsan tutius erit cum *Erasmo* ἐπέχειν, quam alterutri disse-  
tentionem parti subscribere, præprimis cum ab utraque par-  
te provocetur ad *experientiam*, cui, si vera est & certa, con-



ere nefas est. Cum vero experientia illorum, qui affirmativam propugnant, suspecta sit, & vix illis patrona esse possit: Negantes contra plus patrocinii sperare videantur ab experientia vera, nec rationibus destituantur pręgnantibus, hęc etiam me adungere placet. Sane qui affirmativam tuentur sententiam, non infitias ire possunt, *cygnos sapius edidisse vocem parum jucundam, nec melius cecinisse anseribus*, uti testatur laudatus Scaliger. Quis vel nostra tempestate est, qui eorum etiam, a pueris dextremũ leniũ magnos greges aluerunt, canere unquã cygnum audivit? Dicitis: Quę consequentia, *Plinius & Lucianus* olim, alique nostro tempore non audivere cantantes cygnos, E. *Cygni plane non cantant?* Adeant isti ripas, cygnorum patrias, justo tempore observent, imprimis ubi aura Zephyri suaviter afflat & terminus vitę adest, haud dubie canent. Verũm hęc consequentia non destruitur, nautęque jam dudum, alique, qui talia loca perlustrarunt, contrarium docuerunt. Credam hoc [cum Taubmanno possit quis respondere] *si argumentis viceris, asinum in arca Noe non etiam, uti nunc solet, oncasse sive rudisse.* Si cygni alio tempore non suaviter cecinerunt, qua ratione cantus suavior & concitator tempore mortis illis adscribi potest, quo cygnorum senescentium vires naturales, & spiritus sunt debiliores. Quod si vel maxime hic aliquid admittendum sit, dixerim, aliud esse *drensationem & quamlibet vocis inflexionem*, qualem cygnos edere concedi potest; Aliud vero *cantionem verę sic dictam*, qua vocem modulis certis tollimus aut premimus, certisque temporibus producimus aut corripimus, atque ita suavem & concinnum sonum edimus, qualem cygnis moribundis adscribere vix licet. Nec est, quod quispiam in gratiam illorum, qui a bene multis seculis ferę receptam de cantu cygnorum opinionem tuentur, urgeat [1.] *Etymologiam* ab *Isidoro* lib. XII, cap. VII. hęc descriptam verbis: *Cygnus a canendo est appellatus, eod quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit.* Hoc ety

nom

mon ; ni fallor , etiam illi respiciunt & suspiciunt, qui scribere malunt *cygnus*, quam *cygnus*. [II.] *Autoritatem* [a] *Aegyptiorum*, qui *cygnum Musica Hieroglyphicum* esse voluerint. Sane *Aegyptiorum* autoritas olim tanti momēti fuit, ut *Græci* omnem *Philosophiam* ipsis acceptam referre non dubitarint. Accedit, quod *antiquitas cygnum Apollini Cytharocædo Musica inventori* consecrarit. [b] *Proverbiorum*, qualia sunt: *Inter strepitus anser olores: Hirundo contendat cum Cygnis: Certe et Cygnis ululæ.* Ut *Græca proverbialia* non tangam. [III.] *Naturam fauricem*, quæ toties laudatis *cygnis tam longum colum dedisse videatur, ut præ ceteris avibus suavius cantillent.* Verum enim vero hæc mihi non persuadebunt, ut cantioni *cygneæ* faveam. *Responsiones ad singula, cum illas pagellarum harum angustia non capiat, ad conflictum reservabo, & talia aliaque dubia moventibus pro viribus, favente divina gratia, satisfacere promitto.*

## TANTUM.




AB: 67  $\frac{13}{e,7}$


ULB Halle

3

005 949 122







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

11

Ε Α Σ  
TIONUM

LARUM,

Quam  
IORUM permissu,

*sub  
residio*

LAI STENDERI,

Dudolstadio-Schvartzb.

TORIS

*landam proponit*

OTTENBERGER,

-Thuring.

Martii,

. M. DC. LXX.

erio Majori,

meridianis.

PHSTADII,

YSCHMIDIANIS,